

clesiæ sustentavimus : fratres vero nostros in ecclesia substitutos, pristinis ecclesiæ possessionibus et justitiis donavimus : et pro ampliori pace et quiete eos ad neminem, nisi ad nos et successores nostros, respectum habere statuimus. Ut igitur hæc in perpetuum incònvulsa permaneant, banho beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostro confirmamus. Conservantibus pax et remissio peccatorum. Si vero aliqua conditionis alicujus persona, studii nostri laborem præsumperit cassare, vel temerario ausu

A pauperes Christi disturbare, vel aliqua occasione voluerit eliminare, sit anathema maranatha usque in diem Domini. Ego Elinderus subscribo. Ego Uwernus subscribo. Ego Wernerus subscribo. Ego Sidagus subscribo. Ego Anselmus subscribo. Ego Theodericus subscribo. Ego Sigebodo subscribo; Ego Godescalcus subscribo. Actum est ab Incarnatione Domini anno 1129, indictione vii, iv Kalendas Novembris, in suburbio civitatis Magdeburg, in abbacia beati Joannis Baptistæ.

## SANCTI NORBERTI

MAGDEBURGENSIS ARCHIEPISCOPI

### SERMONES DUO AD POPULUM.

#### SERMO I.

(Hugo, *Vie de saint Norbert*, Luxembourg, 1704, 4<sup>o</sup>, notes, p. 354.)

Dolens a vobis discesseram, fratres, sed propitia Dei clementia, jam lætus et quasi tripudians revertor ad vos. Inimicus homo, inveteratus ille odii et rixarum seminator diabolus, diro nos a vobis schismate avulserat, ut qui imperium a scissuris incœperat stabilire propagaret dissidiis, pastoremque a gregē dividens oves sine certo dīce, ad vocem mercenarii vagantes, in dārahā detraheret. Hæc fuit invidentis inimici antiqua fraus; hæc fuit et mali præsertis origo, per quod concordiam scidit, non minus felicitati publicæ, quam saluti ovium et pastoris officio necessariam. Tempestate pene obruti, fluctus quos sedare non licuit precibus, fuga declinare oportuit. Verum Deo gratias, Christus qui fremente procella dormire visus est, ad clamores tandem periclitantis evigilans imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Pacem quam diabolus eripuerat, restituit nobis Deus pacis. Illam, quæso, fratres, ardentè amate, indesinenter quærite, prudenter custodite. In vinculo charitatis corda nostra cohæreant, et sicut de primis Christianæ fidei cultoribus scriptum est, *erat cor unum et anima una*, ita in posterum, in unitate spiritus ambulemus omnes. Nolite timere, filioli, quos iterum parturio, ne mala quibus pastorem exagitastis, pastorem contra vos exasperent. Etsi enim, non mihi, sed sacerdotio vim

B feceritis, spero tamen de misericordia ejus quæ propitiatur iniquitatibus nostris, lacrymarum vestrarum abundantia deletum esse crimen quod patrastis. Rogemus ergo nunc Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, ut pacem quam dedit immeritis, merentibus denuo conservet; satagamus ut per bona opera redimemus mala, et certam faciamus vocationem nostram, quatenus uno ore honorificetur Deus, nunc et semper. Amen.

#### SERMO II.

*De concordia servanda.*

(LE PAIGE, *Bibliotheca Præmonstrat.* Parisiis, 1633, fol. p. 370.)

C Viri fratres, Dominus noster Jesus Christus cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, inter alia hoc mandatum illis præscripsit, ut in quamcunque domum intrarent, primo dicerent: Pax huic domui, et si ibi esset filius pacis, requiesceret super eum pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed sola Dei superabundanti gratia, imitatores eorum effecti, eandem pacem vobis denuntiamus, quæ mente incredula contemnenda non est; nam ad pacem æternam pertingere facit. Vobis igitur incognitum non est, ad quid convenimus: non est nostrum, neque ex nostro utpote qui peregrinus sum, et advena pertransiens, sed potestatis et voluntatis Dei est perficere; nostrum autem est ipsius voluntati ex integro et devoto affectu acquiescere.

## S. NORBERTI CHARTÆ.

#### I.

*Pro ecclesia Sanctæ Mariæ Magdeburgensi.*

(Anno 1129.)

[Exstat supra in *Analectis Norbertinis*, cap. 3, num. 32, 33.]

#### II.

*Hospitalem domum quamdam fratribus Præmonstra-*

D *tensibus in ecclesia B. Mariæ Magdeburgensi constitutis tradit.*

(Hugo, *Vie de S. Norbert*, p. 362, notes.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, nos NORBERTUS, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopus.

Cum plurima antecessoris nostri piæ memoriæ